



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio VIII. De Archiepiscopo, jus Pallii usurpante in Ecclesia Exempta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

obligatio tantum pro rata. Neque ad temporis prateriti reductionem operum necessaria videtur auctoritas Episcopi, vel Papæ; quia Tridentinum, Urban. VIII. & Innocent. XII. quando eam requirunt, videntur loqui de reductione & imminutione stabili futurum. III. pro illis verò, pro quibus accepti sunt reditus, & quæ exigunt

Cantum, sufficere puto, si intra breve tempus tot procurarentur sacra privata & simplicia sine Cantu, quot fuerunt Anniversaria omiffa. per ea, quæ tradit Gobat, *n. cit. litt. H.* quia pactiones humanæ non sunt exigendæ ad punctum, sed civili modo accipiendæ, ut ait Peckius *ad Regulam Juris 25. in 6. n. 2.*



TITULUS VIII.

De Auctoritate & Ufu Pallii.

DECISIO VIII.

An Archiepiscopo, vel alteri jus Pallii obtinenti, liceat illò uti in Ecclesia exempta?

SPECIES FACTI.

Cœlestinus Monasterii cujusdam exempti Abbas ut ampliorem Archiepiscopi, in cujus diocesi situm est hoc Monasterium, benevolentiam sibi conciliaret, eundem in principali Ordinis sui festo humanissimè invitavit ad solenniter operandum Sacris. Hunc honorem tam officiosè sibi delatum acceptavit Archiepiscopus. Verùm cum sacras ad solenniter Sacrificandum vestes indueret, pro more suo & Pallium adhibuit. Id animad-

vertens Cœlestinus, & ne aliquid fieret in exemptionis præjudicium, metuens modestè & sollicitè monuit Archiepiscopum, ut in hac Ecclesia exempta abstineret Palliò. At is nonnihil monitione hac offensus, eaque insuper habita perrexit, & cum Pallio Pontificalia exercuit, Cœlestinus verò re Divina finita contra hoc factum in aliorum corona solenniter protestatus est. Unde oriebatur

QUÆ-

QUÆSTIO.

An Coelestinus jure monuerit, & jure protestatus sit?

Negat Panormitanus in *c. 1. de auct. & usu Pallii. n. 7.* P. Engel, P. Wiestner, & quidam alii, innitentes *c. Archiepiscopo 2. de Privil. in Clement.* ubi Archiepiscopo conceditur potestas in Pontificalibus celebrandi etiam in Ecclesiis exemptis, licet eidem aliam exercere jurisdictionem ibidem prohibeatur: sed ad Pontificalia spectat quoque Pallium: ergo & usus Pallii in Ecclesiis exemptis est ei à Jure concessus. Confirmatur. *In d. Clem. & c. Antiqua eod. n.* tribuitur Archiepiscopo potestas curandi, ut sibi per totam suam Provinciam præferatur Crux, etiam in locis exemptis, in signum præminentiae: cur ergo negetur in iisdem locis usus Pallii, quod est signum præcipuum præminentiae Archiepiscopalis?

Sed spectato Jure scripto potiores esse partes Coelestini censo cum P. König *h. t. n. 6.* propter textum *in c. 4. eod.* ubi Archiepiscopis præscribitur modus, tempus, & locus, quibus uti debeant ac possint Pallio Archiepiscopali, atque usus restringitur ad Ecclesiam, in qua jurisdictionem Ecclesiasticam acceperunt. Sed jurisdictionem Ecclesiasticam non acceperunt in Ecclesiis exemptis. Concordat *c. 5. eod.* ubi haud obscure Archiepiscopis negatur usus Pallii de Jure communi extra provinciam suam invitis

locorum propriis Rectoribus: atqui locus exemptus æquiparatur loco extra provinciam vel diocesim sito; quamvis enim sit in diocesi, non tamen est de diocesi, ut fert communè brocardicum. Confirmatur: Pallium designat *Ecclesiasticam potestatem. c. 4. cit. & Pontificalis Officii plenitudinem. c. 3. eod.* Sed Ecclesiastica Potestas & Officium Pastorale Episcopi vel Archiepiscopi ad exemptos se non extendit: ergo.

Ad fundamentum oppositæ opinionis non est difficilis responsio. Imprimis enim nec Pontificalia sine expressa Ordinarii loci licentia exercere licet extra diocesim, vel provinciam, juxta *Trid. S. 6. c. 5. de Ref.* cujusmodi loco extrâ existenti æquiparatur locus exemptus. Deinde licet Pontificalia absque licentia Rectoris Ecclesiæ exemptæ exercere posset Archiepiscopus in Ecclesia suæ provinciæ exempta, exinde tamen malè inferretur licitus Pallii usus, partim quia celebrare in Pontificalibus est præcisè actus honoris, quem Archiepiscopo deferre decet etiam exemptos, usus verò Pallii est simul actus officii pastoralis, & potestatis Ecclesiasticæ, imò jurisdictionis, uti insinuant citata Jura, quem sine licentia Rectoris proprii exercere in Ecclesia exempta est laedere jus exemptorum à potestate & jurisdictione.

risdictione exercentis: partim quia privilegium vel consuetudo, vel data particulariter potestas exercendi Pontificalia in Ecclesia exempta, sunt strictæ interpretationis. *arg. c. 5. & Clem. cit. Fagnanus in c. quia nos 6. eod. n. 8.* ideo à Pontificalibus non extendenda ad alios actus officii, potestatis, jurisdictionis, v. g. ad ordinandos Clericos, cognoscendas causas litigiosas &c. ne personis exemptis inferatur gravamen, vel exemptioni præ-

judicium. *Clem. cit.* ergo nec ad usum Pallii, quo designatur officium pastorale, potestas, & jurisdictio Ecclesiastica. Nempe per Pontificalia, in odiosis saltem & strictè non venit usus Pallii in puncto Juris. Unde fuit responsio etiam ad *Confirmationem*; quia præferri Crucem est præcisè signum honoris & præminentia, non officii, potestatis, aut jurisdictionis, sicut uti Pallio.



TITULUS IX.

De Renuntiatione.

DECISIO IX.

De Resignatione Beneficii speciem habente Resignationis in favorem.

SPECIES FACTI.

PAulus Parochus, ætate gravis, viribusque paulatim deficiens statuit suum beneficium parochiale in Timotheum, sanguine junctum, actu sacerdotem, & gradu licentiæ insignem, plurimumque dilectum transferre, haud ex vano credens, nisi ipse vivus adhuc eidem providerit, illum post fata sua non facile, & non nisi post seros annos promovendum, ut pote omni alio Patrono & fautore po-

tenti destitutum. Interim tamen novit ex SS. Canonibus, resignationem in favorem prohibitam ab Episcopis acceptari non posse, à Patrono autem, penes quem residet jus præsentandi ad dictam parochiam, validè promitti non posse præsentationem novi Parochi, antequam absolutè vacare inceperit Parochia. Quapropter adjit Patronum, & porrecto supplici libello petiit, ut Timotheo spes fieret præ-